ANNO 1756.

LX.

## UTINENSI

Metropolitanæ Eccleſiæ Miſſa de Spiritu Sancto cum certis Collecta & Orationibus celebranda conceditur in die depoſitionis, ſeu commemorationis Beati Bertrandi Aquilejenſis Patriarchæ.

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Ad futuram rei memoriam.*

Procem. A ſtudio ampliandi Sanct. cultum.

NOn eſt equidem, quod Nos in hoc ipſo potiſſimum Apoſtolicæ omnium Eccleſiam ſollicitudinis & procurationis graviſſimo miniſterio, imbecillitati Noſtræ a Supremo Paſtorum Principe Jeſu Chriſto, cujus vices in terris plane immerentes gerimus, impoſito rite ſancteque obeundo fere defeſſos, magis reficere & recreare videatur, quam cum opportunæ ſeſe Nobis offerunt occaſiones, per quas Pontificiæ auctoritatis, benignitatiſque partes abhiberi a Nobis petitur in promovendo ampliandoque eorum Chriſti fidelium cultu, quos in Domino confidimus in caritate Dei conjunctos ex hac vita migraſſe, & in æterna Beatorum ſtatione in Cœlis poſito gaudere; cum per totum fere vitæ Noſtræ ſpatium, quoad Nobis integrum fuit, non omiſerimus immenſos labores impendere, ut præclara Venerabilium Servorum Dei, Beatorum, & Sanctorum geſta tot editis voluminibus illuſtraremus.

Immemoria. præſtitus B. cultus.

§. 1. Quoniam autem in Metropolitana Eccleſia Utinenſi, ſicut Dilectus Filius Noſter Daniel Tituli Sanctæ Mariæ Supra Minervam Presbyter S. R. E. Cardilis Patriarcha Delphinus Archiepiſcopus Utinenſis nuper Nobis humiliter expoſuit, Corpus ſive Oſſa Beati Bertrandi, dum in humanis ageret, Patriarchæ Aquilejenſis viam univerſæ carnis anno MCCCL. ingreſſi reperiuntur, cui, quemadmodum pariter expoſuit, publicus cultus impendi cœptus ex eo Tranſitus ſui tempore, ad hanc uſque diem exhiberi pergit, pro ſane Cultu comprobando neceſſaria quoque documenta ad Nos traſmittenda curavit, atque inſimul retulit, in die nimirum defunctionis ejuſdem Beati Bertrandi ſolemnem Miſſam pro gratiarum actione in Omnipotentis Dei honorem cani, juxta providum ſapienſque conſilium Venerabilis Servi Dei Cæſaris Cardinalis Baronii Eccleſiaſticorum Annalium Auctoris, de Sanctis quoque in Martyrologio Romano deſcriptis meritiſſimi, qui a fel: rec: Clemente PP. VIII. Prædeceſſore noſtro oraculum ecceperat. Præterea idem Daniel Cardinal Patriarcha & Archiepiſcopus ſupplices preces obtulit, ut publicum hujuſmodi Cultum ampliare de Apoſtolica benignitate & auctoritate dignaremur.

Ad preces Eminent. Car. Pat. & Arch conceditur ut in die commem B. Bertr. celebret. Miſſa de Spiritu Sancto cum inſcriptis orationibus.

§. 2. Nos igitur, qui laudatum Danielem Cardinalem Patriarcham & Archiepiſcopum, ob eximias generis animique dotes, ac Sacerdotales in regendis populis ſuæ Paſtorali curæ commiſſis virtutes, plurimi facimus, magnoque in honore habemus, piis votis porrectique precibus benigne obſecundare cupientes, poſtquam omnia & ſingula ad hujuſmodi graviſſimum negotium ſpectantia, matura conſideratione expendimus, ac præſertim allata ſuper publico exhibito Cultu documenta, & quidquid de eodem Beato Bertrando illius temporis Auctores gravis notæ ſcriptis ſuis conſignarunt, in hanc ſententiam devenimus, atque Apoſtolica auctoritate tenore præſentium ſtatuimus, ut in die quidem, in qua annua in memorata Eccleſia Metropolitana Utinenſi ſæpedicti Beati Bertrandi Corpus ſive Oſſa repoſita ſunt, celebratio ſolemnis Miſſæ cum Cantu pro gratiarum actione in Omnipotentis Dei honorem in ſingulos annos peragatur. Hujuſmodi vero Miſſa ſit illa, quæ de Spiritu Sancto in Miſſali Romano habetur; atque in ipſa addantur Orationes, ſive Collectæ, ut infra, nimirum, poſt primam quidem Orationem, ſive Collectam de Spiritu Sancto, ſub unica Concluſione dicatur; *Deus, qui Beatum Bertrandum pro Eccleſiæ ſuæ juribus ad mortem uſque certantem invictam paſtorali fortitudine roboraſti, præſta fidelibus tuis, ut ad pietatis & religionis conſtantiam ejuſdem informentur exemplis. Per Dominum &c.* Poſt alteram vero, ſive Secreta: *Sacra dona, quæ Tibi, Domine, reverenter offerimus in commemorationem Beati Bertrandi, Eccleſiæ tuæ libertatem tueantur & pacem, & ſanctificationis noſtræ incrementa promovant. Per Dominum &c.* Poſt tertiam demum ſive Poſtcommunio: *Præſta, quæſumus, Omnipotens Deus, ut in honorem Beati Bertrandi celebrata myſteria, ejus virtutum imitatores, & tua propitiatione nos dignos efficiant. Per Dominum &c.*

PONT. A. XVI.

Conſuetæ clauſulæ & decreta in præmiſſorum firmit.

§. 3. Decernentes præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, ſempre firma, valida, & efficacia exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, & illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus & per omnia pleniſſime ſuffragari; ſicque & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam Cauſarum Palatri Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, & eorumdem Cardinalium Congregationes, & quoſvis alios quacumque præeminentia & poteſtate fungentes & functuros, judicari & definiri debere, ac irritum & inane quidquid ſecus ſoper his a quocumque quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Sumpt. fide.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præſentium Litterarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Dat. 18 Junii 1756. Pont. 16.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœceſis ſub Annulo Piſcatoris die XVIII. Junii MDCCLVI. Pontificatus Noſtri Anno Decimoſexto.

*Cajetanus Amatus.*

LXI.

## PRIVILEGIA MONASTERII

Monialium B. Mariæ Virginis, Ordinis S. Benedicti prope & extra muros Civitatis Aquilejenſis, opportuna locorum ſubjectorum deſcritione, ac definitione juriſdictionis Delegati Apoſtolici appoſita, confirmantur.

## BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

*Dilectis in Criſto Filialibus, Abbatiſſæ & Conventui Monnſterii Monialium Beatæ Mariæ Virginis, Ordinis Sancti Benedicti, prope & extra muros Civitatis Aquilejen. nullius Diœceſis, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.*

Procem. Privilegia non temere abrog. ſuis tam, limitibus cohibend.

QUæ ex Apoſtolica Prædeceſſorum Noſtrorum Romanorum Pontificum auctoritate & liberalitate Religioſis Domibus ac Perſonis conceſſa dudum fuerunt Privilegia & Indulta, ne propter varias lab n tium temporum & circumſtantium rerum viciſſitudines labefactari contingat, novo confirnationis munimine roborare, ſimulque eadem generalibus Eccleſiæ Legibus, & Canonicis inſtitutis, per opportunas voluntatis noſtræ declarationes congruenter attemperare, non recuſamus; prout ipſarum Domuum ac perſonarum religioſæ utilitati & quieti, ac Eccleſiaſticæ Diſciplinæ integritati ſalubriter expedire in Domino judicamus.

Monaſt. ejuſque perſonæ, ac res quæcumque ampliſſimis privil. ditatæ.

§. 2. Sane exhibita Nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, quod quum alias nonnulli Romani Pontific. Prædeceſſores noſtri, antiquiſſimo Monaſterio veſtro, ejuſque Perſonis & rebus, ac poſſeſſionibus, Eccleſiis quoque, Cappellis, & locis ab eo dependentibus, quæ in aliquot eorumdem Prædeceſſorum litteris, propriis leguntur expreſſa vocabulis, Apoſtolicæ Protectionis, aliaque complura privilegia & indulta conceſſiſſe dignoſcerentur; fel: record: Prædeceſſor pariter noſter Bonifacius Papa IX. per ſuas, ſub Datum Romæ apud S. Petrum Kalend. Junii, Pontificatus ſui Anno XI. expeditas Litteras Apoſtolicas, idem Monaſterium veſtrum, cum membris ſuis, ejuſque Abbatiſſam & Conventum, ac ſingulares Perſonas in eo tunc degentes, & poſteras, earumque bona, & jura quæcumque, quæ tunc obtinebant, & in poſterum obtinerent, ab omni poteſtate, juriſdictione, dominio, ſervitute, & viſitatione Patriarchæ Aquilejenſis tunc exiſtentis, & pro tempore futuri, nec non Capituli Aquilejen. aliorumque Ordinariorum, & Judicum quorumcumque, Auctoritate Apoſtolica exemit, & perpetuo liberavit, ac ſub Beati Petri, & Sedis Apoſtolicæ, ac ſua, protectione ſuſcepit, & exempta ac libera, exemptaſque ac liberas eſſe voluit, ſibique & Succeſſoribus ſuis Romanis Pontificibus, ac dictæ Sedi, immediate ſubeſſe; ita ut Patriarcha & Judices ſupradicti, ratione delicti, ſeu contractus, aut rei; de qua ageretur, ubicumque committeretur delictum, iniretur contractus, aut res ipſa conſiſteret, nullam in ipſas Abbatiſſam & Conventum, earumque Monaſterium, Perſonas, membra, Bona, aut jura prædicta, poſſent juriſdictionem, poteſtatem, dominium, aut viſitationem exercere, ſed dumtaxat coram dicta Sede, vel ejus delegatis, tenerentur de juſtitia reſpondere.

A Bonif IX. ſingul. exemptionis priv. donantur & ſub immediata Sedis Apoſtolicæ juriſdict. ſuſcipiuntur.



PONT. A. XVI.

Clementis VII. litteræ, quib. hujuſmodi exemptioni ad tempus derogetur.

§. 3. Quodque ſubinde, poſt iteratas confirmationes, hujuſmodi exemptionis, ſuſceptionis, & ſubjectionis, ab aliis Romanis Pontificibus eidem Monaſterio veſtro, ejuſque Perſonis, membris, & Bonis elargitas, recol. mem. Prædeceſſor pariter noſter Clemens Papa VII., qui alias ad collapſam Regularis obſervantiæ Diſciplinam in eodem Monaſterio veſtro redintegrandam, illud, & illius Moniales, cum earum juribus, bonis, & pertinentiis univerſis, gubernio & regimini bo: me: tunc in humanis agentis Marini Tituli S. Vitalis S. R. E. Presbyteri Cardinalis, & Patriarchalis Aquilejenſis Eccleſiæ Præſulis, quamdiu Eccleſiæ hujuſmodi pſæeſſet, per ſpeciales ſua in forma Brevis Litteras ſuppoſuerat, & ſubjecerat; poſtmodum, ad ſupplicationem tunc exiſtentium dicti Monaſterii Abbatiſſæ & Monialium, attento quod plures Romani Pontifices dictum Monaſterium, & illius Perſonas, Terras, & Bona, ab omni Juriſdictione pro tempore exiſtentis Patriarchæ Aquilejenſis, ejuſque Vicariorum & Officialium, exempta ac libera, ut præfertur, ſub ſua, ac dictæ Sedis Apoſtolicæ protectione perpetuo manere ipſique Sedi Apoſtolicæ immediate ſubeſſe voluerant; & ipſæ Abbatiſſa & Conventus in poſſeſſione, ſeu quaſi, exemptionis hujuſmodi, a quadringentis annis, vel circa, & tanto tempore, cujus initii hominum memoria non erant, jam tunc exiſtebant; aliiſque de cauſis tunc latius expreſſis; ac etiam conſideratione claræ mem: tunc in humanis agentis Ferdinandi Hungariæ & Bohemiæ Regis, & Comitis Goritiæ, ſub cujus temporali dominio Monaſterium prædictum exiſtebat per alias poſteriores in ſimili forma Brevis litteras datas apud S. Petrum die 26. Novembris 1530. Pontificatus ſui anno VIII. præfatas ſuas anteriores litteras, & inde ſequuta quæcumque, revocando, caſſando, & annullando, ac pro nullis & infectis habendo, ac priſtinas exemptionem, ſuſceptionem, & ſubjectionem prædictas in ſuo robore ſubſiſtere, ac Monaſterio, Abbatiſſæ & Conventui, illorumque rebus, & bonis prædictis ſuffragari decernendo; nec non hujuſmodi exemptionis, & ſuſceptionis, ac ſubjectionis litteras, & Monaſterium prædictum, in priſtinum, & eum, in quo ante priorum litterarum hujuſmodi editionem erant, ſtatum reſtituendo, reponendo, & plenarie reintegrando; ac veterem renovando conſuetudinem, qua alii Romani Pontifices in more habuerunt alias Perſonas in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutas, ſecluſo Patriarcha Aquilejenſi, in Viſitatores, Correctores, & Reformatores Monaſterii prædicti, tamquam ſibi & Apoſtolicæ Sedi immediate ſubjecti, conſtituere, & deputare; earumdem Litterarum tenore, Abbati Monaſterii S. Georgii Majoris Venetiarum dicti Ordinis S. Benedicti tunc & pro tempore exiſtenti, donec per ipſum Clementem, ſeu Succeſſores ſuos, aliud ordinatum foret, commiſerit & mandaverit, ut ipſe, ejuſque Succeſſores Abbates, Monaſt. ipſum in capite, & in membris, in ſpiritualibus & temporalibus viſitarent, & prout opus eſſe perſpicerent, ad debitam Regularis Diſcipl. obſervantiam reducerent, & reformarent.

ab eodem Pont. revocantur.

Ac in priſtinum ſtatum reſtitutis omnibus privileg. Iuriſdictio, correctio, & viſitat. Abbati Mon. S. Georgii Majoris Venet. demand.

Pacifica & ad hæc uſque tempora continuata privil. poſſeſſio.

§. 4. Ex quo tempore, ſicut eadem expoſitio veſtra ſubjungebat, tam Monaſterium ipſum, ejuſque Abbatiſſa, & Moniales pro tempora exiſtentes, quam etiam earum bona, ac res, & Perſonæ ipſum ſubjectæ Indultis & Privilegiis ſibi conceſſis uſque in præſentem diem pacifice fruit non deſtiterunt, ſub protectione Sedis Apoſtolicæ, ac Romanorum Pontificum, etiam pro tempore exiſtentium, inter quos recol. mem. Prædeceſſor quoque noſter S. Pius Papa V. Datis Apoſtolicis Litteris apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ MDLXVI. Idibus Aprilis, Pontific. ſui anno primo, in ampliſſima confirmatione omnium Privilegiorum & Indultorum eidem Monaſterio, Abbatiſſæ, & Monialibus per Prædeceſſores Pontifices, & Sedem Apoſtolicam eatenus conceſſorum, comprehenſa quoque voluit, ac ſpecifice exprimenda duxit, decretum, & declarationem jam inde ab anno 1503. per bo: mem: Angelum Leoninum, dum viveret, Epiſcopum Tyburtinum, Legatum Apoſtolicum cum poteſtate Legati a Latere olim in iſtis partibus degentem facta, per quæ, inter alia, omnia & ſingula Beneficia Eccl. cum cura, & ſine cura, in præfatis ejuſdem Mon. Privilegiis contenta, & deſcripta, ad vos & Conventum veſtrum, veſtramque Nationem, proviſionem, & omnimodam diſpoſitionem ſpectare & pertinere, ac de menſa veſtra eſſe, & fore, voſque, ſtantibus præmiſſis, de hujuſmodi Beneficiis ad veſtrum nutum & voluntatem diſponere potuiſſe, & in antea poſſe, ideoque collationes, proviſiones, & alias diſpoſitiones de iiſdem Beneficiis per vos factas, omniaque & ſingula inde ſequuta, pro canonice & legitime factis cenſeri debere; nec non eorumdem Beneficiorum Cappellanos, & Beneficiatos, iiſdem Privilegiis, gratiis, & favoribus, ad inſtar præfati Monaſterii veſtri pariformiter uti, frui, & gaudere poſſe, & debere, decreverat, & declaraverat; prout Nobis expoſitum fuit in indicatis ipſius Pii Prædeceſſoris Litteris latius contineri.

ANNO 1756.

Iterum confirm. a S. Pio V.

Una cum Decreto an. 1503. Legati a latere liberam Beneficior. diſpoſit. Monaſt. & Monialibus adjud. c.

Mon. rerum, ac perſonar. cura & gubern. hactenus demandata Perſon. in Dignit. Eccl. conſtitutæ.

§. 5. Ipſius autem Monaſterii Veſtri, ac illius perſonarum, & rerum, nec non Eccleſiarum, Locorum Piorum, aliorumque membrorum ab eo dependentium, a Diœceſani, & cujuſcumque alterius Ordinarii juriſdictione, & ſuperioritate, ita ut præfertur, exemptorum, ac Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjectorum, regimen, & gubernium, per diverſas perſonas Eccleſiaſticas ac pro tempore exiſtentibus Romanis Pontificibus ſucceſſive delegatas geri & adminiſtrari conſuevit; eumque in finem, hujuſmodi perſonis delegatis, ſive per Litteras Apoſtolicas, ſive per organum Congregationis Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum, ampliſſimæ facultates conceſſæ dignoſcuntur; videlicet tam Monaſterium ipſum, quam aliud quodvis Monaſterium, Eccleſiam, Hoſpitale, Confraternitatem, Locum Pium, Terram, Caſtrum, & aliud quodcumque membrum eidem Monaſterio ſubjectum, Abbatiſſas, Moniales, & aliam quamvis Perſonam in eis degentem, cujuſcumque ſtatus, gradus, & conditionis, tam in capite, quam in membris, viſitandi, corrigendi, & reformandi, abuſus tollendi, ac diſciplinam & obſervantiam regularem reſtituendi; nec non Rectores, Cappellanos, & Confeſſores, tam ordinarios, quam extraordinarios, pro ejuſdem Monaſterii, & Terrarum, Caſtrorum, Villarum, & Locorum illi ſubjectorum ſervitio, deputandi & conſtituendi, Puellas ad habitum, & ad Profeſſionem admittendi, illaſque ad hujuſmodi effectum examinandi, & approbandi, præterea quaſcumque Perſonas eidem Monaſterio ſubjectas, exceſſus ſeu delicti alicujus reas & culpabiles, repertas, certa ſervata methodo, corrigendi, puniendi, & caſtigandi, ac omnes & ſingulas tam civiles, quam criminales, & mixtas cauſas, ad ejuſdem Monaſterii forum & juriſdictionem ſpectantes, prout juris fuerit, illiuſque ordine ſervato, cognoſcendi, decidendi, & terminandi, aliaque omnia & ſingula ad Officium Vicarii, Viſitatoris, & Reformatoris ſpectantia & pertinentia, faciendi, & contra contumaces & inobedientes, illorumque conſultores, & fautores, ad cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque neceſſaria & opportuna juris & facti remedia procedendi; ſicuti in nonnullis hujuſmodi deputationum Litteris latius accepimus contineri; ac etiam Dilectus Filius modernus noſter, & Sedis Apoſtolicæ Delegatus, ad ipſius Monaſterii veſtri Regimen, ejuſque juriſdictionis adminiſtrationem iſtic conſtitutus, hujuſmodi facultates hactenus circa præmiſſa obtinuiſſe, exercuiſſe dignoſcitur.

Ampliſſimæ hujuſmodi Delegato Apoſtol. tributæ facultates.

§. 6.

Cur iſthæc privil. tot. Pont. litteris firmata, iterum confirmari petatur.

§. 6. Cum autem, ſicut eadem petitio proſequebatur, poſtquam Nos, graviſſimis, juſtiſſimiſque de cauſis, Eccleſiam Patriarchalem Aquilejenſem dudum exiſtentem, ejuſque Patriarchalem dignitatem ipſamque Cathedram, & Sedem, penitus & omnino ſuppreſſimus & extinximus, duaſque Archiepiſcopales Eccleſias, Goritienſem videlicet, ac Utinenſem ereximus, & Goritienſi quidem Eccleſia unam partem antiquæ Diœceſis Aquilejenſis, in qua Civitas ipſa Aquilejenſis, in cujus diſtrictu primodictum Monaſterium veſtrum, cum aliquibus terris, locis & villis, nec non Eccleſiis eidem ſubjectis exiſtit, ſubjecimus & attribuimus; alteri vero, Utinenſi videlicet Eccleſiæ, reliquam ejuſdem antiquæ Diœceſis Aquilejenſis partem, in cujus ambitu ſitum eſt alterum Monaſterium veſtrum, prope muro Civitatis Forojulienſis extinctum, ad quod, ex antiqua conſuetudine, univerſa Conventus veſtri communitas, æſtivis menſibus ob aerem inſalubrem, qui eo tempore periculoſam reddit Aquilejenſis tractus ſtationem, ſingulis annis transferri ſolet; nec non cætera ejuſdem Monaſterii veſtri bona, & loca, ſeu terræ, villæ, & Eccleſiæ eidem ſubjectæ conſiſtunt, ſubjecimus pariter, & attribuimus; verendum eſſet, ne forte in hujuſmodi rerum immutatione, & novarum Diœceſum conſtitutione, ac reſpectiva earum terminatione præjuditium aliquod ampliſſimæ exemptioni, cæteriſque juribus & privilegiis, quibus vos & Monaſterium veſtrum, cum ſuis membris, & bonis, ac perſonis in eo degentibus, & ab eo dependentibus, ſub immediata Sedis Apoſtolicæ ſubjectione, ut præfertur, hactenus uti, frui, & gaudere conſueviſtis, inferri, aut illatum cenſeri contingeret, ideoque pro parte veſtra Nobis fuerit humiliter ſupplicatum, quatenus præfatam Monaſterii veſtri, ejuſque membrorum exemptionem, aliaſque gratias, conceſſiones, & privilegia, a Prædeceſſoribus Noſtris Romanis Pontificibus vobis elargita, & longa, vel etiam antiquiſſima, & immemorabili poſſeſſione, ſeu quaſi & plurium ſæculorum uſu, a vobis retenta, novo Apoſtolicæ confirmationis munimine roborare, & opportunæ declarationis præſidio amplius aſſerere & firmare dignaremur.

Petitioni annuit Pontifex, ampliſſimamque Monaſter. Perſonar. ac rerum exemptionem confirmat.

§. 7. Idcirco Nos, ad rem maturius atque conſultius peragendam, requiſitis primum, auditiſque Venerabilibus Fratribus Noſtris modernis Utinenſi, & Goritienſi Archiepiſcopis, ac omnibus tam per eos, quam per vos, & Procuratores veſtros ſuſe deductis, aliiſque ad rem pertinentibus diligenter expenſis & conſideratis, votis veſtris in præmiſſis annuere volentes, voſque, ac veſtras ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis & interdicti, aliiſque &c. cenſentes; ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, præmiſſas Bonifacii & Clementis, aliorumque Prædeceſſorum prædictorum reſpective litteras, nec non dicti Monaſterii veſtri, illiuſque bonorum, villarum, caſtrorum, & locorum, ac Eccleſiarum in illis conſiſtentium, ſeu ab eodem Monaſterio alias dependentium, prout in præſentibus enumerantur, & ſunt, libertatem, & exemptionem, ac immediatam Sedi Apoſtolicæ ſubjectionem, ita ut tam primodictum Monaſterium veſtrum, quam alterum prope Civitatem Forojulienſem exiſtens, nec non Eccleſiæ, ac villæ, & caſtra, ac loca hujuſmodi, quarum, & quorum nomina inferius deſcribimus, voſque, & aliæ perſonæ, in illis nunc, & pro tempore degentes, a juriſdictione, dominio, ſuperioritate, & viſitatione Goritienſis, & Utinenſis Archiepiſcoporum pro tempore exiſtentium, ejuſque Vicariorum, & Officialium, ac utriuſque Eccleſiæ Capitulorum, prorſus & omnino, perpetuis futuris temporibus, exempta, immunia, ac libera, ac exemptæ, immunes, & liberæ, & ſub Noſtra, ac Succeſſorum Noſtrorum Romanorum Pontificum pro tempore exiſtentium, & Sedis Apoſtolicæ prædictæ immediata protectione, & ſubjectione ſuſcepta, & ſuſceptæ, ac vere & immediate ſubjecta, & ſubjectæ ſint, & eſſe cenſeantur, ac reſpective permaneant; harum ſerie perpetuo confirmamus & approbamus, illiſque novum, & inviolabile Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus.

Provideque recenſet, quæ tali exempt. fruantur.

§. 8. Quæ igitur ſub præſentium litterarum noſtrarum diſpoſitione comprehenſa, ac præfatæ exemptionis, ſuſceptionis, & ſubjectionis munere decorata eſſe, & perpetuo cenſeri volumus, propriis duximus exprimenda vocabulis, & ſunt quæ ſequuntur; videlicet a parte dominii in temporalibus Auſtriaci.

Loca in tempor. Auſtriaco Dominio Conſtitut.

I. Monaſterium veſtrum *Sanctæ Mariæ* nuncupatum prope muros Civitatis Aquilejenſis extructum *cum ſua Eccleſia*.

II. Item Villa *Monaſterii* nuncupata, & in hujuſmodi Villæ ambitu Eccleſia Parochialis ſub titulo *Annuntiationis B. Mariæ Virginis*.

III. Item Villa *Sancti Martini de Tertio* nuncupata, cum ſua Eccleſia Parochiali ſub titulo ejuſdem *Sancti Martini*.

IV. Item Villa *Tertii* nuncupata; & in hujus Villæ ambitu, Eccleſia *Sancti Blaſii* filialis prædictæ Eccleſiæ Sancti Martini.

V. Villa *de Ronchis*, & in ejus tractu Eccleſia *Sancti Joſeph* filialis ejuſdem Eccleſiæ Martini.

VI. Villa *de Moruzzis* nuncupata.

VII. Alia Villa *de Malborghetto* nuncupata.

VIII. Item Villa *de Cervignano* nuncupata, & in hujus Villæ ambitu Eccleſia Parochialis ſub titulo *Sancti Michaelis Archangeli*; nec non alia Eccleſia ſub titulo *Sancti Hieronymi*; ac inſuper *Oratorium publicum*, de Jure patronatus, ut aſſeritur, Familiæ de Breſſanis, non longe vero extra eamdem Villam, Eccleſia *Sancti Martini*.

Alia Veneto Dominio comprehenſa.

A parte vero temporalis Dominii Veneti.

I. Aliud *Monaſterium* veſtrum prope Mœnia Civitatis Forojulienſis, cum ſua Eccleſia ſub titulo *Sanctæ Claræ*.

II. Villa de *Pradizzolo* nuncupata, & in ejus ambitu Eccleſia ſub titulo *B. Mariæ Virginis de Salute, & Sancti Oſvaldi*, quæ eſt filialis præfatæ Eccleſiæ Parochialis S. Michaelis Archangeli de Cervignano.

III. Villa *Muſcoli* nuncupata, & in ea ſimiliter Eccleſia Sacramentalis *Sancti Zenonis*, quæ etiam filialis eſt ejuſdem Parochialis Eccleſiæ de Cervignano.

IV. Villa de *Preteolis* nuncupata & in ea Parochialis Eccleſia *Sancti Thomæ Appoſtoli*; extra vero eamdem Villam Eccleſia *Sancti Andreæ Apoſtoli*, filialis præfatæ Parochialis Eccleſiæ in dicta Villa exiſtentis.

V. Villa de *Sacilleto* nuncupata cum ſuo Caſtro; & quidem in dicta Villa, Eccleſia Sacramentalis *Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli*, in Caſtro autem, Eccleſia *Sancti Antonii*; quæ ambo filiales ſunt præfatæ Parochialis Eccleſiæ Sancti Thomæ de Preteolis.

VI. Villa de *Alturis* nuncupata, cum Eccleſia *Sancti Blaſii* Epiſcopi & Martyris, filiali ejuſdem Parochialis Eccleſiæ de Preteolis.

VII. Villa de *Morteſinis* nuncupata.

VIII. Villa de *Chiaſellis* nuncupata, & in ejus ambitu Eccleſia Parochialis *Sanctæ Mariæ Virginis*.

IX. Villa de *Zumpicchia* nuncupata; & in eadem Eccleſia Parochialis *Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli*.

X. Villa de *Piantanico* nuncupata, & in ejus ambitu Eccleſia Sacramentalis *Sancti Cantiani* Martyris: prope eam vero Eccleſia *Sancti Antonii Abbatis* in Campo; quæ ſunt filiales prædictæ Parochialis Eccleſiæ de Zumpicchia.

XI. Villa de *Bagliano* nuncupata, & in ipſa Villa, Eccleſia Sacramentalis *Sancti Martini*, atque inſuper alia Eccleſia *Sanctæ Mariæ Magdalenæ* in Arce diruta ejuſdem Begliani; quæ pariter filiales ſunt præfatæ Parochialis Eccleſiæ de Zumpicchia.

Exemptivis, & delegati auctoritas diſtinct. explicat.

§. 9. Ne autem ob ſuperius enunciatas rerum immurationes, controverſiæ, & diſſidia, ſeu ambiguitates, & dubia, cum ſuper effectibus præfatæ exemptionis, vobis, Monaſterio veſtro, dictiſque locis, Eccleſiis, atque perſonis conceſſæ, tum & potiſſimum circa uſum juriſdictionis activæ, quam dilectus filius modernus & pro tempore exiſtens Noſter, & Apoſtolicæ Sedis Delegatus, qui nunc iſtic deputatus exiſtit, & futuris quoque temporibus, ad formam prædictarum litterarum, noſtrarumque præſertim ſuper ſuppreſſione dicti Patriarchatus Aquilejenſis Anno Incarnationis Dominicæ 1751. pridie nonas Julii, Pontificatus Noſtri anno XI. editarum, quibus initium eſt: *Injuncta Nobis*, deputandus erit: in ſpiritualibus, & temporalibus juxta earumdem litterarum ſuæ deputationis continentiam & tenorem, receptamque conſuetudinem, circa præmiſſa exercere debebit, in Eccleſiaſticæ pacis, & Canonicæ diſciplinæ perturbationem, ac detrimentum, ſuboriri contingat; idcirco Nos infraſcriptas declarationes, ordinationes, & regulas ſubjicere opportunum duximus; ad quarum formam, & terminos omnia redigi, & moderari volumus, ac earumdem præſentium tenore, dictaque ſcientia, & poteſtatis plenitudine præcipimus, & mandamus.



Delegatus Apoſtol. Synodalia Archiep. Decreta in reſpect. locis Monaſterio ſubjectis ſervari jubeat.

§. 10. Primo videlicet, quod dictus Delegatus pro tempore exiſtens, Synodales leges, ad Eccleſiaſticam diſciplinam tuendam, aut reparandam, a Goritienſi, & Utinenſi Archiepiſcopis editas, & pro tempore edendas, Clero ſæculari Eccleſiarum, villarum, & locorum, a prædicto Monaſterio veſtro dependentium, ſervata circumpoſitarum Diœceſum diſtinctione, reſpective proponere, & ab eo obſervari facere debeat; ſub pœnis in hujuſmodi Synodalibus legibus etiam reſpective adſcriptis, quas ipſe Delegatus a contrafacientibus diſtricte exigere non omittat.

Caſus eoſdem ſibi reſervet.

§. 11. Secundo, quod in omnibus præfatis villis, & locis, juriſdictioni primodicti Monaſterii veſtri ſubjectis, idem Delegatus pro tempore exiſtens eoſdem caſus, quos Archiepiſcopi Goritienſis, & Utinenſis in eorum reſpective Civitatibus, & Diœceſibus ſibimetipſis pro tempore reſervabunt, juxta præfatam locorum poſitionem, & perſonarum domicilium, ſibi ipſi reſervare; & Confeſſariis, ut infra, approbatis, facultatem ab ipſis abſolvendi interdicere, iiſdemque reſpective, etiam ſub certis modo & forma ſibi beneviſis, tribuere poſſit & valeat.

Sacerd. a reſpectivo Archiepiſc. ad curam animar. vel confeſſiones, quo ad idoneitat. tantum approbat. uſum juriſdictioni concedat.

§. 12. Tertio, quod approbatio Sacerdotum, tum qui animarum curam exercere, quam qui Sacramentales Chriſtifidelium Confeſſiones in iiſdem Eccleſiis, villis, & locis, excipere debebunt, quoad idoneitatem, ad alterutrum ex dictis Archiepiſcopis juxta locorum poſitionem præmiſſam, ſpectet atque pertineat; qui tamen Archiepiſcopi litteras hujuſmodi Sacerdotibus a ſe approbatis tradendas ita efforment, ut eorum tantummodo idoneitatem, ad munus, de quo agitur, in genere teſtatam faciant; reſervata prædicto Delegato auctoritate concedendi Sacerdotibus ſic approbatis uſum juriſdictionis in Foro Pœnitentiali exercendæ.

Concionatoribus opportun. facultat indulgeat.

§. 13. Quarto, quod Concionatores in hujuſmodi Eccleſiis, & locis præfatæ juriſdictioni ſubjectis verbum Dei publice annunciaturi, ab hujuſmodi Delegato Apoſtolico tantum licentiam petere, & obtinere teneantur.

Monial. Confeſſor. ii aſſum qui idonei ad hoc munus fuerint ab Archiep. renunc.

§. 14. Quinto, quod nullus in Confeſſarium, ſive Ordinarium, ſive Extraordinarium, pro Monaſterio veſtro, & pro vobis, communiter, ſeu ſingulariter, eligi & deputari poſſit, niſi qui antea ſpecialem approbationem circa idoneitatem ad excipiendas Monialium Confeſſiones, juxta formulam hactenus ſervari ſolitam, obtinuerit; & quidem ab eo Archiepiſcopo, cujus Diœceſis ambitu continebitur Conventus veſtri Communitas, quo tempore ad Confeſſarii hujuſmodi electionem & deputationem devenietur. Verumtamen Confeſſarius ſic electus, per integrum tempus deputationis ſuæ, ſuſceptum munus libere proſequi, & Confeſſiones veſtras, aliarumque perſonarum in Monaſterio veſtro cum debitis licentiis pro tempore degentium, audire poterit, etiamſi interea præfata Communitas veſtra ad aliud Monaſterium ſe transferat, alterius Archiepiſcopalis Diœceſis ambitu circumcluſum, abſque eo quod novam ab altero Archiepiſcopo Diœceſis hujuſmodi approbationem obtinere teneatur.

Elapſo quod Confeſſar. ſuæ approbat. tempore, iterum ſe ſiſtere Archiepiſc. reſpective debeant.

§. 15. Sexto, quod Confeſſarii ad Sacramentales Fidelium Confeſſiones excipiendas in præfatis Eccleſiis a Monaſterio veſtro dependentibus aſſumpti & deputati, elapſo tempore in eorum reſpective approbationibus enunciata, iterum ſe ſiſtere debeant eidem Archiepiſcopo, ſeu illius Succeſſori, a quo primum approbati fuerunt; reſervata ſemper Delegato Apoſtolico facultate concedendi Confeſſariis ipſis ſic iterato approbatis exercitium juriſdictionis in Foro Pœnitentiali.

Idem delegatus Parochos, & Vicarios Curatos in poſſeſſionem inducat.

§. 16. Septimo, quod novi Parochi, & Vicarii Curati ad Animarum curam in præfatis Eccleſiis exercendam conſtituendi ſeu deputandi, in eorum Officii exercitium ab eodem Delegato Apoſtolico, Noſtra, & Apoſtolicæ Sedis auctoritate, immittantur.

Oeconom vacantibus Eccleſiis curatis, ab Abbatiſſa eligantur, a Delegat. juriſd. exercit tradatur.

§. 17. Octavo ſimiliter, quoties hujuſmodi Parochiales Eccleſias, ſeu Officia Curata vacare contigerit, Presbyteris Oeconomis per Abbatiſſam pro tempore exiſtentem electis, ut hactenus in more poſitum fuit, uſus & exercitium juriſdictionis, durante vacatione hujuſmodi exercendæ a præfato Delegato Apoſtolico, eadem auctoritate, tradatur.

Jus viſitandi Monaſteria, adnexaſq. Eccleſias privative Delegato reſervat.

§. 18. Nono, quod idem Delegatus pro tempore exiſtens, ſolus, & privative quoad unum, & alterum Archiepiſcopos præfatos, viſitare poſſit, & debeat, tam primo, & ſecundo dictum Monaſterium veſtrum, etiam quoad Clauſuram, ſervatis tamen quoad modum & tempus viſitationis hujuſmodi, & quoad numerum perſonarum in viſitationibus aſſumendarum, Apoſtolicis Decretis, atque Conſtitutionibus: quam omnes præfatas Eccleſias, Oratoria, & Pia loca a prædicto Monaſterio veſtro dependentia, prout hactenus viſitare conſuevit, ac viſitatione hujuſmodi completa, præmiſſorum omnium ſtatus relationem, ſingulis trienniis, ad Sedem Apoſtolicam tranſmittere teneatur, ad formam Conſtitutionis Noſtræ incipientis *Quod Sancta*, datæ apud Sanctam Maria Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1740. Nono Kal. Decembris, Pontificatus Noſtri Anno I.

Ejuſdem Delegati juriſdict. in cognoſcendis cauſis civilibus & criminal.

§. 19. Decimo, quod Delegatus ipſe cauſas omnes civiles, & criminales, & mixtas Cleri, & Populi dictarum villarum, caſtrorum, atque locorum ad ejuſdem Monaſterii veſtri forum, & juriſdictionem ſpectantes cognoſcere, decidere, & terminare, atque in iiſdem, prout juris fuerit, ſervatis ſervandis, uſque ad ſententiam definitivam procedere; & contra delinquentes, ad formam ſacrorum Canonum, & Conſtitutionum Apoſtolicarum, dictorumque Synodalium ſtatutorum reſpective procedere, eoſque pro modo culpæ punire, mulctare, & emendare poſſit, ac debeat.

Dimiſſor. tamen Delegatus non concedat.

§. 20. Undecimus, nullatenus tamen ipſi Delegato liceat Dimiſſoriales Litteras concedere perſonis hujuſmodi Monaſterii veſtri juriſdictioni quocumque titulo ſubjectis, pro ſuſcipiendis Ordinibus, ſive Majoribus, ſive Minoribus, vel ut Clericali Militiæ adſcribantur.

Ad Pont. in locis Monaſt. ſubjectis peragenda quis advocand.

§. 21. Duodecimo, quod pertinet ad Pontificalia peragenda in Eccleſiis tam uni, quam alteri Monaſterio veſtro adnexis aliiſque ſuperius enunciatis, nec vobis, nec ipſi Delegato liceat quemcumque Antiſtitem ad id pro libito accire, ſed illum dumtaxat ex duobus Archiepiſcopis præfatis invitare teneamini, cujus Diœceſis finibus reſpective concluſa reperitur Eccleſia, in qua Pontificales Functiones habendæ erunt; Quod ſi Archiepiſcopus requiſitus, hujuſmodi Functiones & Munia Pontificalia peragere recuſaverit, ſive nequiverit, tunc liceat vobis, & Delegato prædicto, quemcumque alium Catholicum Antiſtitem, gratiam, & communionem Sedis Apoſtolicæ habentem, in eum finem advocare. Salva ſemper Noſtra, & Apoſtolicæ Sedis auctoritate, ſi quando, vel in hoc, vel in aliis quibuslibet ex præmiſſis rerum capitibus in peculiaribus caſibus, ſpecialiter indulgendum cenſuerimus, ſeu Succeſſores Noſtri Romani Pontifices indulgere opportunum duxerint. Et firmis integriſque manentibus favore utriuſque præfati Archiepiſcopi, Goritienſis videlicet, & Utinenſis nunc, & pro tempore exiſtentium omnibus & ſingulis juribus, tam quæ ad Ordinem, quam quæ ad Juriſdictionem pertinent, etiam circa præmiſſa loca, Eccleſias, res, & perſonas, in iis tamen, de quibus in ipſis Litteris ſuper deputatione ſæpedicti Delegati Apoſtolici confectis, ac deinceps ſuper ſimilibus deputationibus Succeſſorum ejus, juxta conſuetam formulam, ſed ſalva præſentium Noſtrarum diſpoſitione conficiendis, nihil expreſſe cautum reperiatur; ſeu de quibus Nos per eaſdem præſentes, nihil decrevimus, ſtatuimus, & declaravimus.

Opportuna in reliquis præſervatio Archiepiſc. juriſdict. & auctor.

Clauſula, & Decret. in præm. firmitat.

§. 22. Denique eaſdem præſentes Litteras, & in eis contenta, etiam ex eo quod aliqui in præmiſſis, vel eorum quopiam intereſſe habentes, aut habere prætendentes, ad hoc vocati, vel auditi non fuerint, aut ex quibuſvis cauſis de ſubreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, ſeu intentionis Noſtræ, vel quocumque alio defectu notari, vel impugnari, aut alias infringi, vel quomodolibet retractari, ſuſpendi, limitari, vel eis in aliquo derogari, nulla-

Anno 1756.

nullatenus unquam poſſe; eaſque ſub quibuſvis contrariis Conſtitutionibus, revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, derogationibus, modificationibus, decretis, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine, aut alia, & quibuſvis de cauſis, etiam pro tempore factis, minime comprehendi, ſed ab illis ſemper exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas, ac de novo conceſſas, ſemperque & perpetuo validas, firmas, & efficaces eſſe, & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac ab omnibus, ad quos ſpectat, & ſpectabit, quomodolibet in futurum, perpetuo, & inviolabiliter obſervari, ac primodicto Monaſterio, vobiſque, ac futuris pro tempore exiſtentibus, Abbatiſſæ, & Monialibus ipſius Monaſterii, aliiſque perſonis, Eccleſiis, & locis prædictis, quorum favorem eædem præſentes quomodolibet concernunt, perpetuis futuris temporibus pleniſſime ſuffragari debere: ſicque in præmiſſis ab omnibus cenſeri. ac ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, & ignoranter contigerit attentari, irritum quoque & inane decernimus.

Ampliſſima contrariorum derogat.

§. 23. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, Noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ regula de Jure quæſito non tolendo: ac quibuſvis Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum, ac etiam in Synodalibus, Provincialibus, & Univerſalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, ac etiam præmiſſis litteris Prædeceſſorum eorumdem in iis, quæ præſentibus adverſantur: Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apoſtolicis, quibuſvis Eccleſiis, etiam Metropolitanis, perſonis, & locis, per quoſcumque Romanos Pontifices Prædeceſſores Noſtros prædictos, vel alios quoſcumque, & quacumque dignitate, & auctoritate fulgentes, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriam derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, quomodolibet conceſſis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiam ſi de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda eſſet; tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes; illis alias in ſuo robore permanſuris, ad effectum validitatis & perpetuæ firmitatis præmiſſorium omnium & ſingulorum, hac vice dumtaxat, harum ſerie, ſpecialiter & expreſſe derogamus; contrariis quibuſcumque.

Sanctio pœnalis.

§. 24. Nulli ergo omnino hominum liceat, paginam hanc Noſtræ abſolutionis, confirmationis, approbationis, roboris, adjectionis, declarationum, ordinationum, derogationum, decretorum, & ſtatutorum infringere, vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

Dat. 30. Julii 1756. Pont. 16.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Mlleſimo ſeptingenteſimo quinquageſimo ſexto, tertio Kalendas Auguſti Pontificatus Noſtri anno XVI.

*J. Card. Pro-Datarius.*

*D. Card. Paſſioneus.*

VISA DE CURIA.

J. C. Boſchi.

L. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

*Regiſtrata in Secretaria Brevium.*

## REFRACTARIIS

Pont. A. XVI.

Conſtitutionis *Unigenitus* an, & quando SS. Corporis Chriſti Viaticum denegari debeat, Encyclica hac Epiſtola definitur.

*Venerabilibus Fratribus Noſtri S. R. E. Cardinalibus, ac Archiepiſcopis, & Epiſcopis Regni Galliarum, in noviſſimis comitiis Cleri Gallicani congregatis.*

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabiles Fratres, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.*

Pont. cura & ſollicitudo de turbata in Gallis Eccl. tranquilitate reſtituenda.

EX omnibus Chriſtiani Orbis regionibus, ad quas impoſita imbecillitati Noſtræ paſtoralis cura protenditur, quum multa ſæpe ad nos deferantur, quæ animum Noſtrum pro omnium ſingularumque Eccleſiarum ſtatu ſollicitum & anxium habeant, vix tamen aliunde nobis majores perturbationis, atque doloris cauſæ acciderunt, quam ex graviſſimis controverſiarum & diſſenſionum incommodis, quibus florentiſſimum iſtud Regnum, & Catholicam Gallorum nationem aliquot abhinc annis jactari cognovimus. Neque ſane deſtitimus hoc toto perturbationum veſtrarum tempore Deum optimum maximum enixe rogare, ac interpoſitis etiam aliorum precibus, orare atque obſecrare, ut ipſe, qui Deus pacis eſt, veram ſolidamque tranquillitatem turbatis Eccleſiis veſtris reddere dignaretur. Sæpe etiam, datis ad cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Ludovicum Galliarum Regum Chriſtianiſſimum Apoſtolicis litteris, illius opem & brachium ad Eccleſiaſticæ pacis tutelam atque præſidium imploravimus. Iis autem, qui ad Nos & ad Sedem Apoſtolicam de rebus iſtis recurſum habuerunt, ea ſemper reſponſa dedimus, quibus Nos promptos paratoſque declaravimus, pro pace Eccleſiæ Gallicanæ, quam ſincera & conſtanti dilectione proſequimur, quidquid Nobis vitæ ſupereſſe poſſet, libenter impendere; atque omnia, quæ Nobis agenda proponeretur, & aggredi & urgere, dummodo ejuſmodi conſilia eſſent, quæ ad revellendum malorum germen apta & idonea dignoſcerentur, & quorum executio cum ſpe proſperi eventus ſuſcipienda, & ad intentum finem utiliter proceſſura videretur.

Pluribus nominib. Gallicani Cleri virtus commendat.

§. 2. Gravem atque diuturnam de rebus veſtris ſollicitudinem qua hactenus affectui fuimus, non parum ſublevarunt litteræ e Gallicani Cleri Comitiis die 31. Octobris elapſi anni ad Nos ſcriptæ; quas quidem legentes, veſtram, Venerabiles Fratres, firmitatem atque conſtantiam, veſtram perſpeximus perfectam conſenſionem in cuſtodiendo veræ ſanæque doctrinæ depoſito, & in retinenda, quam ſemper majores veſtri profeſſi ſunt, erga Apoſtolicam Beati Petri Sedem, Catholicæ Unitatis centrum, obſervantia & veneratione. Neque enim ullam inter vos diſſenſionem vigere comperimus, quoad canonicas regulas & principia; ſed ſciſſuras tantummodo eſſe inter vos in deligendis ſtatuendiſque mediis, quibus utendum neceſſario eſt, ut eadem communia principia in uſum deducantur. Quod quamvis optandum fuiſſet longe abeſſe a Conventu veſtro, haud tamen mirum videri debet, ſcientibus, id alias inter ſacros Antiſtites, & doctrina & morum ſanctitate conſpicuos, in graviſſimarum rerum tractatione eveniſſe. In magnum autem præconceptæ conſolationis noſtræ acceſſionem ſeſe obtulit eximia Chriſtianiſſimi Regis pietas & religio, cum hæreditario ipſius in hanc Apoſtolicam Sedem obſequio conjuncta, quæ non in recentioribus tantummodo illius litteris, quas die 19. Decembris ejuſdem elapſi anni, prædictam Cleri epiſtolam huc mittens, ad nos dedit, ſed in cæteris quoque omnibus ab eo conſcriptis, præclare enituit; in quibus teſtari poſſumus atque debemus, Nos ſemper illius Regii animi ſenſus eos plane deprehendiſſe, qui maxime decebant Orthodoxum Principem, & vera in Deum religione, & ſincera erga Romanam Sedem pietate præditum, eumdemque pacis atque concordiæ in ſuis regnis reſtituendæ & conſervandæ amantiſſimum.

Publicis & notor. refractar.

§. 3. Tanta eſt profecto in Eccleſia Dei auctoritas Apoſtolicæ Conſtitutionis, quæ incipit *Unigenitus*, eadem-



Pont. A. XVII.

Conſtitutioni Unigenitus SS. Viaticum jure denegatur.

que ſibi tam ſinceram venerationem, obſequium, & obedientiam ubique vindicat, ut nemo Fidelium poſſit, abſque ſalutis æternæ diſcrimine, a debita erga ipſam ſubjectione ſeſe ſubducere, aut eidem ullo modo refragari. Hinc porro conſequitur, ut in ea, quæ exorta eſt, controverſia, utrum hujuſmodi refractariis ſanctiſſimum Corporis Chriſti Viaticum expetentibus denegari debeat, ſine ulla hæſitatione reſpondendum ſit, quoties prædictæ Conſtitutioni publice & notorie refractarii ſint, denegandum eis eſſe; ex generali nimirum regula, quæ vetat publicum atque notorium peccatorem ad Euchariſticæ Communionis participationem admitti, ſive eam publice, ſive privatim requirat.

Publici & notorii refractarii qui.

§. 4. Publici autem atque notorii ſunt refractarii, in caſu, de quo agitur, quicumque per ſententiam a Judice competente prolatam rei declarati ſunt, eo nomine, quod debitam prædictæ Conſtitutionis *Unigenitus* venerationem, obſequium, & obedientiam contumaciter denegaverint; quicumque etiam hujuſmodi contumaciæ reos ſe in judicio confeſſi ſunt; ac præterea illi, qui quamvis nec a Judice condemnati, neque reatum ſuum in judicio confeſſi fuerint, nihilominus, vel eo tempore, quo ſacrum ipſum Viaticum ſuſcepturi ſunt, propriam inobedientiam & contumaciam adverſus Conſtitutiones *Unigenitus* ſponte profitentur, vel in anteactæ victæ decurſu aliquid evidenter commiſiſſe noſcuntur, manifeſte oppoſitum venerationi, obſequio, & obedientiæ eidem Conſtitutioni debitæ, in eoque facto moraliter perſeverare; quod ita vulgo cognitum eſt, ut publicum ſcandalum inde exortum, non adhuc ceſſaverit; in his enim caſibus eadem omnino adeſt moralis certitudo, quæ habetur de iis factis, ſuper quibus Judex ſententiam tulit, vel ſaltem alia ſuppetit moralis certitudo prædictæ ſimilis & æquipollens.

Duplex notorii ſpecies, variaque demonſtratio.

§. 5. In quo tamen præ oculis habenda eſt differentia quæ intercedit inter notorium illud, quo merum aliquod factum deprehenditur, cujus facti reatus in ipſa ſola externa actione conſiſtit, ut eſt notorietas uſurarii aut concubinarii; & aliud notori genus, quo externa illa facta notari contingit, quorum reatus ab interna etiam animi diſpoſitione plurimum pendet; de quo quidem notorii genere nunc agiter. Alterum enim illud gravibus ſane probationibus evinci debet; ſed alterum gravioribus certioribuſque argumenti probari oportebit.

Certitudo ex quibus non ſatis idonea habeatur.

§. 6. Ea vero, quam ſupra innuimus, certitudo minime adeſſe dicenda eſt in aliis caſibus, in quibus crimen nititur conjecturis, præſumptionibus, incertiſque vocibus, quæ originem ſuam plerumque debent hominibus aut malo animo affectis, aut qui præjudicatis opinionibus, vel partium ſtudiis ducuntur; quibus dum fides habetur, ſatis compertum eſt, tum præteritorum temporum, tum ætatis noſtræ experientia, quot modis homines errare & falli, ac in tranſverſam agi contingat.

Quorumdam anxietas in dubiis caſibus.

§. 7. Quia vero nonnulli animarum Paſtores, Eccleſiæque Miniſtri, pietate & zelo commendati, hujuſmodi conjecturis & præſumptionibus deferentes; dum ad ſacrum Viaticum aliquibus miniſtrandum advocantur, animo anxii hærent, verentes ne id ſine propriæ conſcientiæ periculo adminiſtrare non poſſint; certam ſubnectimus agendi regulam, quam ſequantur.

Præſcribitur methodus, cui Sacram. miniſter tuto adherere poſſit.

§. 8. Hoc itaque primum animadvertere debent, an ſcilicet ei, qui extremum Viaticum poſtulant, quum ante ad ſacram menſam accederet, Paſchali præſertim tempore, a loci illius Parocho, ubi degebat, Euchariſtica Communio adminiſtrata fuerit; ſi enim hæc illi in vita non fuerit denegata, argumento id erit, aut hominem illum ab omni labe immunem, aut ſaltem non vere notorium peccatorem reputatum fuiſſe; indeque ſequetur, ſacrum Viaticum eidem in exitu vitæ publice poſtulanti denegari non poſſe; niſi forte, poſtquam olim ad Euchariſticam menſam admiſſus fuit, & ante id tempus, quo poſtrema Sacramenta requirit, aliquid commiſiſſe noſcatur, quo publici & notorii peccatoris notam, juxta præmiſſa, contraxerit.

§. 9. Ubi autem ex hac facti ſpecie certum ipſis non ſuppetat fundamentum, cui inſiſtere valeant; aliunde vero validæ adverſus ægrotorum præſumptiones, & indicia gravia & urgentia militent, ob quæ obortum ſibi ſcrupulum rationabiliter deponere nequeunt; in his rerum circumſtantiis, oportet eos, remotis arbitris, ægrotantem alloqui, eique cum omni lenitate & manſuetudine, non tanquam diſputantes, eumque a[?] cere volentes, oſtendere, quæ & qualia ſint indicia, quæ ſuſpectum reddunt ipſius vitæ tenorem; rogantes eum & obſecrantes, ut reſipiſcat, in eo ſaltem temporis articulo, & quo æterna ipſius ſalutis ſors pendet; eidemque præterea demonſtrantes, quod, quamvis ipſi parati ſint ſanctiſſimum Corporis Chriſti Viaticum ei miniſtrare, ac etiam reipſa illud ei miniſtrent, non ideo tamen tutus ipſe erit ante tribunal Chriſti, ſed potius novi & horrendi criminis reum ſe conſtituet, ex quo judicium ſibi manducavit & bibit; cæterum ſe non alia de cauſa Sacramentum Corporis Chriſti eidem miniſtraturos, niſi ut Eccleſiæ jubenti obtemperent, quæ præter eam, quam habet, curam, ut ſcandala publica antevertat, pro ſua etiam pietate, ægroti ipſius infamiam præcavere ſtudet, & idcirco eum a ſacra menſa non repellit, dum ipſum, licet peccatorem in conſpectu Domini reputet, non tamen in proprio Tribunali publicum atque notorium peccarem agnoſcit.

Anno 1756.

Hortatio ad Præſules, ut traditam regulam ſectentur, aliiſque proponant ſervandam.

§. 10. Hanc itaque judicandi agendique normam oportet vos, Venerabiles Fratres, utpote Noſtro & Apoſtolicæ Sedis judicio probatam, inferioribus animarum Paſtoribus, cæteriſque Presbyteris per Civitates & Diœceſes veſtras Sacramenta legitima adminiſtrantibus, ſequendam & obſervandam proponere. Quod quidem judicium ſuper vigentibus controverſiis a Nobis interpoſitum, & Eccleſiaſticis regulis nititur, & Conciliorum olim in ipſis Galliarum regionibus habitorum decretis, & gravium ipſius Nationis veſtræ Theologorum ſententiis fulcitur. Ut igitur vobis laudi fuit, illuſtrium Prædeceſſorum veſtrorum exempla ſequendo, promotas iſtic controverſias ſubortaque dubia ad Nos & Apoſtolicam Sedem deferre, certamque hinc regulam, ad revocandam tuendamque Eccleſiarum veſtrarum pacem, expoſcere; ita nunc officii veſtri partes, veſtraque ſimul apud Deum & Eccleſiam merita cumulabitis, ſi ſupraſcriptam agendi methodum, ab iis, ad quos pertinet, in occurrentibus caſibus omnino ſervari curabitis. Quod Nos a Fraternitatibus veſtris eo fidentius expectamus, Nobiſque pollicemur, quo magis Nobis ipſi conſcii ſumus, nihil diligentiæ aut ſtudii a Nobis prætermiſſum fuiſſe, ſive in perpendendis ac diſcutiendis articulis, quos Epiſcopi in præfatis Cleri Comitiis adunati, licet non unanimi ſententia, propoſuerunt, deſumendiſque ex ipſa eorum diſcrepantia notionibus, ad rem penitus percipiendam, rectoque judicio definiendam opportunis; ſive in legendis ponderandiſque ſententiis ſcripto exaratis a Venerabilibus Fratribus noſtris hujus S. R. E. Cardinalibus, quorum hac de re conſilia exquiſivimus; ſive in cæteris omnibus exequendis atque præſtandis, per quæ Divini luminis adjutorium, quod interim flagrantiſſimis votis implorare non prætermiſimus, Nobis promoreri poſſumus.

Ad id præſto futura ſpondetur religio validumque præſid. Chriſtianiſſimi Regis. Eccleſiaſtica jura vindicaturi.

§. 11. Neque vero dubitemus, quin Cariſſimus quoque in Chriſto Filius noſter Rex Chriſtianiſſimus, poſtquam ſuſceptum a vobis conſilium non ſolum probavit, ſed etiam, ut ſupra innuimus, ſuis ad nos datis litteris fovere, & adjuvare non recuſavit; pro ſuas perſpecta in Deum & Eccleſiam religione ac pietate, validam Fraternitatis veſtris opem præbere ſtudeat, quo tam vobis, quam inferioribus Eccleſiæ miniſtris, liberum & integrum ſit, ut ſuperius deſcriptam agendi normam ſacrorum Myſteriorum adminiſtrationem moderari. Qua quidem fiducia freti, nos hic ſermonem minime habendum exiſtimavimus de reliquis Fratrum veſtrorum articulis reſpicientibus Epiſcopalia jura circa eorumdem Sacramentorum participationem concedendam, vel denegandam, & varias ſuper hac re obortas controverſias; ſed potius cum ipſo Chriſtianiſſimo Rege per alias litteras noſtras agendum duximus, ut is ſacra Epiſcopatus jura, ſua animi magnitudine ac præſtanti virtute tueatur. Quod ipſum, & proprio, & majorum ſuorum more, facturum certo confidimus: ut nobiliſſimæ Galliarum Eccleſiæ, illius regio favore noſtris veſtriſque ſtudiis obſecundante, ſuum priſtinum decorem retinuiſſe, & perturbatam ad tempus tranquillitatem cito recuperaſſe lætentur. In cujus optatiſſimi eventus auſpicium, Fraternitatibus veſtris, cunctiſque populis Paſtorali cure veſtræ concreditis, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur.



D d Da-

Anno 1756.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die decima ſexta Octobris MDCCLVI. Pontificatus Noſtri anno DecimoSeptimo.

Dat. 16. Oct. 1756. Pont. 17.

LXIII.

## DE JURE METROPOLITICO

Archiepiſcopalis Eccleſiæ Moguntinæ in novam Diœceſim Fuldenſem; ejuſque Clerum & Populum.

### BENEDICTUS PAPA XIV.

*Ad futuram rei memoriam.*

Proœm. Privileg. ita temperanda, ut Eccl. Hierarch. non perturbent.

SAluberrimum Apoſtolicæ providentiæ benignitatiſ quæ inſtitutum a Prædeceſſoribus Noſtris Romanis Pontificibus ſapientiſſime initum ſervatumque, ut iis, quidem, quibus potuiſſent, titulis & honoribus inſignes Eccl. magis magiſque ad Nominis Divini cultum, & Chriſtifidelium utilitatem adaugerent, ſed pari nihilominus circuſpectione ac diligentia Hierarchicum Eccleſiæ Catholicæ ordinem in hiſce ipſis honorum largitionibus inviolatum atque intactum decretis ac reſcriptis ſuis cuſtodirent, a ſuſcepti Pontificatus Noſtri exordio ita, quoad Nobis integrum fuit, tenere & ſequi ſtuduimus, ut nullas hac in re Apoſtolicæ Noſtræ vigilantiæ partes ubique gentium deſiderari paſſi fuerimus. Quamobrem cum inſignis & antiquiſſima Abbatia Fuldenſis, quæ intra fines Provinciæ Moguntinæ ſita eſſe non ambigitur, multis nominibus clara, maxime vero propter Privilegia, quibus per Romanos Pontifices, atque ipſos etiam Seculares Principes locupletata fuit, in Germania plurimi fieret, magnoque in honore haberetur; non immerito Nos, ad majus Catholicæ Fidei præſidium atque ornamentum, Abbatiam ipſam in Epiſcopatum ereximus, ejuſque Abbatem pro tempore exiſtentem iu Epiſcopum & Abbatem inſimul conſtituimus, quemadmodum ex aliis Noſtris ſub Plumbo expeditis litteris, quorum tenorem, quatenus opus ſit, hiſce præſentibus pro expreſſo & inſerto haberi voluerimus, uberius continentur.

Relata ſunt ſuperius n. 4. Pont. ſollicitudo in componenda inde exorta controverſia.

§. 1. Cum autem poſt Epiſcopatus hujuſmodi erectionem, atque Epiſcopi ordinationem, quædam eruperit controverſia ſuper auctoritate, quæ Archiepiſcopo Moguntino in dicta nova Epiſcopali Diœceſi Metropolitico jure competere deberet; ut ea quamcitius, & abſque ullo judiciali ſtrepitu abſolveretur, controverſiam ipſam ad Nos avocavimus, reque tota per Nos ipſos diligenter conſiderata, itemque in conſilium adſcitis peritiſſimis in jure Canonico viris Noſtræ Romanæ Rotæ Auditoribus, quemadmodum eximia Moguntinæ Sedis dignitas, non inter Germanos tantum, ſed univerſo Chriſtiano Orbi perſpecta expoſcere videbatur, lætati admodum ſumus, quod eorum ſuffragia tum oretenus, tum etiam ſcripto expoſita, & in manibus Noſtris relicta, cum concepta jamprius in mente Noctra ſententia prorſus convenirent. Quapropter uniformi prædictorum Auditorum ſenſui inhærentes, eas ipſa die, videlicet decima Auguſti ſuperioris anni MDCCLV. decrevimus ac declaravimus, prædictas Noſtras litteras ſuper erectione Abbatiæ Fuldenſis in Epiſcopatum atque alias præcedentes itidem Noſtras ſuper approbatione & confirmatione cujuſdam concordiæ inter Epiſc. Herbipolenſem & Abbatem Fuldenſem peractæ, ita ſemper accipiendas eſſe, interpretandas, atque intelligendas, ut per eas nihil omnino detractum, aut imminutum cenſeatur de auctoritate & jure Metropolitico, quod in tota Provincia, atque adeo etiam in novo Epiſcop. Fuldenſi, & univerſa ejus Diœceſi, Moguntino Archiepiſcopo competit, juxta præſcriptum Sacrorum Canonum, & Sacri Concilii Tridentini; ſalva tamen ex alia parte, atque illæſa manente exemptione paſſiva, atque immediata ſubjectione huic Sanctæ Sedi Apoſtolicæ, quibus hactenus juxta formam ſuorum privilegiorum gaviſi ſunt, & gaudere debent Monachi omnes, & Monaſterium Fuldenſe, cum ſua Abbatiali Eccleſia, quæ nuper in Cathedralem erecta eſt, aliiſque Eccleſiis, quæ ſecundum præſentem ſtatum eidem Monaſterio pleno jure incorporatæ & ſubjectæ reperiantur; ita tamen ut Populus & Clerus Secularis ab ejuſmodi Eccleſiis quomodolibet dependen, propter hoc a jure Metropolitico prædicto nequaquam exemptus cenſeatur.

Pont. A. XVII.

Metrop. jus Eccl. Mogunt. in novam Diœceſ. Fuldenſ. ejuſque Clerum & Populum aſſeritur.

Nihil detractum & vult exemptioni Abb. Epiſc. Eccleſiæ, Monaſter. eidemque adnexar. Eccleſ.

§. 2. Quo itaque firmius Decretum hoc Noſtrum ſubſiſtat, & conſervetur exactius, Decretum ipſum tenore præſentium Apoſtolica auctoritate confirmamus, atque inviolabili Apoſtolicæ firmitatis robore communimus.

Clauſulæ & Decret. adſ præmiſſorum firmitat.

§. 3. Decernentes idem Decretum, & præſentes Noſtras litteras, ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque Plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, & illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus & per omnia pleniſſime ſuffragari debere, ſicque, & non aliter in premiſſis per quoſcumque Judices, Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, & eorum Cardin. Congregationes, necnon Apoſtolicæ Sedis Nuncios & quoſvis alio quacumque præminentia & poteſtate fungentes & functuros, judicari, & definiri debere; ac irritum & inane, quidquid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogat. contrar.

§. 4. Non obſtantibus Apoſtlicis, ac in Univerſalibus Provincialibuſque, & Synodalibus Concillis, editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, & quibuſcumque aliis, in contrarium præmiſſorum, etiam a Nobis, quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Fides ſumpt.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præſentium Litterarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 15. Septemb. MDCCLVI. Pontificatus Noſtri Anno Decimoſeptimo.

Dat. 15. Sept. 1756. Pont. 17.

*Cajetanus Amatus.*

LA-



Pont. A. XVII.

## LA CONSECRAZIONE

D' uno eletto Veſcovo, il quale era ſtato prima ordinato Sacerdote dal Papa, ſe debbaſi fare dal Papa medeſimo, o da altri per ſua ſpecial commiſſione.

*Dilecte Fili Carolo, Electo Epiſcopo Juſtinopolitano.*

### BENEDICTUS PAPA XIV.

*Dilecte Fili Noſter, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.*

Virtù ed effetti della proviſta fatta in Conſiſtoro.

NEll' ultimo Conſiſtorio ſegreto, tenuto da Noi nel giorno 20. del proſſimo paſſato meſe di Settembre, avendo in conſiderazione il di lei merito, la proponemmo in Veſcovo di Capo d' Iſtria; ed eſſendo ſeguita la di lei proviſta, dopo eſſere ſtato adempito quanto viene preſcritto dal Sagro Concilio di Trento *alla Seſſ. 24. cap. 1. de Reformat.* e dalle Coſtituzioni Apoſtoliche, ella dee dirſi eletto e confermato; inſegnando comunemente gli Autori, che la proviſta fatta in Conſiſtorio, ha il vigore di elezione e confermazione. Così dopo la Chioſa *nel Cap. 1. in verb. Proviſionem, de elect. in 6.* inſegnano il Ripa *nel Cap. Eam te, num. 11. de reſcriptis*, il Fagnano *nel Cap. Nullus, num. 9. e nel Cap. Nihil, num. 29. de electione*, il Barboſ. *Jur. Eccleſ. univerſ. lib. 1. cap. 9. num.* 14. e da Noi viene anche oſſervato nel noſtro Trattato *de Synodo Diœceſana* dell' ultima ſtampa *al lib. 2. c. 5. num. 3.*

Termine preſcritto ai Veſc. per farſi Conſecrare.

§. 2. Il paſſo adunque, ch' ella oggi dee fare, è quello della conſecrazione, che, camminando colle Regole preſcritte dal predetto ſacro Concilio di Trento *alla Seſſ. 23. cap. 2. de Reform.* dee prenderſi da lei dentro il trimeſtre, che dal dì della confermazione traſcorre; ed avendoci ella ne' diſcorſi fatti con Noi aſſerito, e dimoſtrato, d' aver ricevuti gli Ordini Sacri del Diaconato e del Presbiterato dal Noſtro Predeceſſore e Benefattore Benedetto XIII. il Diaconato ai 30. di Settembre 1728. nella Cappella di S. Pio del Palazzo Apoſtolico di San Pietro, il Sacerdozio agli 11. di Giugno 1729. nella Baſilica Vaticana; ciò ha dato campo al diſcorſo, ed all' indagine, ſe la conſecrazione in Veſcovo debba farſi da Noi, e non da altri, o almeno da altri con noſtra licenza, e commiſſione.

Queſtione inſorta, ſe chi è ſtato, ordinato Sacerdote dal Papa, poſſa eſſere conſacrato Veſcovo da altri, che dal ſolo Papa.

§. 3. Celebre è il Teſto del Pontefice Innocenzo III. *nel Cap. Cum in diſtribuendis, de temporibus Ordinationum*, in cui riſponde al Veſcovo di Modena, ch' eſſendo ſtato il Cherico da lui raccomandato, fatto Suddiacono in Roma, dava al Veſcovo di Bologna, (che in quel tempo era Gerardo Arioſti, come può vederſi nel Sigonio *al lib. 2. de Epiſcopis Bononienſibus nella di lui Vita*) la commiſſione, che gli daſſe l' Ordine del Diaconato. e queſto è il Teſto Capitale, a cui s' appoggia la comune ſcuola de' Canoniſti, per aſſerire, che chi è ſtato ordinato dal Papa, non può eſſer promoſſo agli Ordini ſuperiori, ſe non dal Papa, o da altri colla di lui eſpreſſa premiſſione. *Ordinatus a Papa, ſine licentia Papæ ad ſuperiores Ordines non promovetur:* queſte ſono le parole del ſommario del teſto. Noi ci aſterremo dal portar quì i detti degli antichi Canoniſti ſopra la citata Decretale; ſapendo ognuno, che ha un poco di pratica delle loro Opere, che per lo più quanto è detto da uno, viene traſcritto dagli altri. Porteremmo ſolo l' autorità di due più recenti. Uno è l' Altaferra *nei Commenti al detto Cap. Cum in diſtribuendis*, ove così ſcrive: *Semel ordinatus a Summo Pontifice, non poteſt recipere ſuperiores Ordines ab alio Antiſtite, ſine mandato ipſius Pontificis*. L' altro è il Layman *ſopra lo ſteſſo teſto*, ove così ſcrive: *Eſt autem hoc ſpeciale in Pontifice, & videtur accipiendum de omnibus Ordinibus, etiam prima Tonſura, ut qui eam a Pontifice accepit, ab alio Epiſcopo ſine licentia Papali ordinari non poſſit.*

Generale interpretazione data al teſto, che l'Ordinato dal Papa, non poſſa eſſer promoſſo agli Ordini maggiori da un' inferiore.

§. 4 Riflette ſecondo il ſuo ſolito, con molta accuratezza il Padre Criſtiano Lupo *nella part. 4. ſopra i Canoni de' Sinodi Generali, e Provinciali*, della ſtampa di Bruſſelles, *pag.* 448. che, parlando il

Si dimoſtra poco fondata.



Anno 1756. LXIV.

## CONSECRATIO

Electi in Epiſcopum, qui fuerat a Pontifice Ordinatus Presbyter, an ab ipſo Pontifice, vel ex ſpeciali ejus delegatione, ſit peragenda.

*Dilecte Fili Carolo Electo Epiſcopo Juſtinopolitano.*

### BENEDICTUS PAPA XIV.

*Dilecte Fili Noſter, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.*

Proviſionis Conſiſtorialis quinam ſit effectus.

IN poſtremo ſecreto Conſiſtorio per Nos habito die 20. proxime ſuperioris menſis Septembris, ementitam virtutem tuam præ oculis habentes, te in Juſtinopolitanum Epiſcopum propoſuimus; cumque de eo Epiſcopatu proviſum tibi fuerit, præmiſſis antea omnibus, quæ a Sacro Tridentino Concilio *Seſſ. 24. cap. 1. de Reformat.* & Conſtitutionibus Apoſtolicis præſcribuntur, electus ipſe merito dici potes, ac confirmatus; communis quippe Doctorum ſententia eſt, proviſionem in Conſiſtorio factam, habere vim electionis inſimul & confirmationis. Ita poſt Gloſſam *in Cap. 1. verb. Proviſionem, de elect. in 6.* docent Ripa *in Cap. Eam te, num. 11. de Reſcript.* Fagnanus *in Cap. Nullus n. 9. & in Cap. Nihil, n. 29. de elect.* Barboſa *Jur. Eccleſ. Univ. lib. 1. c. 9. num.* 14. & a Nobis quoque advertitur in Noſtro Tractatu de Synodo Diœceſana noviſſimæ editionis *lib. 2. cap. 5. num. 3.*

§. 2. Quod itaque tibi adhuc reliquum ipſa Conſecratio eſt, quæ, juxta regulas a Sacro Tridentino Concilio præſcriptas *Seſſ. 23. Cap. 2. de Ref.* intra trimeſtre, a die confirmationis tuæ ſupputandum, eſt a te ſuſcipienda; cumque in collatis nobiſcum ſermonibus aſſerueris, oſtenderiſque, Sacros Diaconatus & Presbyteratus Ordines fuiſſe tibi a Prædeceſſore Noſtro, nobiſque munifico Benedicto XIII. collatos, Diaconatum quidem die 30. Septembris 1758. in Sacello S. Pii in Palatio Apoſtolico Vaticano, Presbyterorum autem 11. Junii 1729. intra Vaticanam Baſilicam; effecit id, ut in examen diſputationemque veniret, num ſucceſſiva in Epiſcopum Conſecratio a Nobis, præterea nemine, vel certe quidem ab alio ex Noſtra ad id ſibi delegata auctoritate, confici debeat.

Epiſc. Conſec. ſuſcipiendæ terminus.

Suborta quæſtionum Ord. Presbyter a Pontif. tantum poſſit conſecrari Epiſcopus.

§. 3. Celebris eſt Textus Innocenti III. Pontificis in *Cap. Cum in diſtribuendis, de temporibus Ordinationum*, quo Mutinenſi Epiſcopo reſcribit, quandoquidem commendatus ab ipſo Clericus, Romæ Subdiaconatum ſuſceperat, indulgere ſe Bononienſi Epiſcopo, (tunc temporis Gerardo Arioſti, uti videre eſt apud Sigonium *lib. 1. de Epiſcopis Bononienſibus, in Vita ejuſdem*) facultatem ipſum promovendi ad Ordinem Diaconatus: eſtque hic præcipuus Textus, cui univerſa Canoniſtarum ſchola innixa docet, ordinatum a Papa, non poſſe ad ſuperiores Ordines promoveri præterquam a Papa, vel ab alio, cui id muneris ipſe delegarit. *Ordinatus a Papa, ſine licentia Papæ ad ſuperiores Ordines non promovetur*: ſunt hæc concepta verba epitomes textus. A colligendis hic veterum Canoniſtarum dictis in præcitatam Decretalem temperabimus, cum unicuique in eorum operibus evolvendis parumper verſato perſpectum ſit, plerumque alterius dicta ab altero tranſcribi. Unius tantummodo, alteriuſque ex recentioribus verba afferemus. Altaſerra eſt alter, in Commentariis ad citatum *Cap. Cum in diſtribuendo*, ubi hæc adnotat: *Semel ordinatus a Summo Pontifice non poteſt recipere ſuperiores Ordines ab alio Antiſtite, ſine mandato ipſius Pontificis.* Alter eſt Layman *in eumdem textum*, ubi ita ſcribit: *Eſt autem hoc ſpeciale in Pontifice, & videtur accipiendum de omnibus Ordinibus, etiam prima Tonſura, ut qui eam a Pontifice accepit, ab alio Epiſcopo ſine licentia Papali ordinari non poſſit.*

Indefinita interpretatio textus de Ordinatis a Papa ad ſuperiores Ordines non promovendis ab infer.

§. 4. Pater Chriſtianus Lupus *par. 4. in Canones Synodorum Generalium & Provincialium editionis Bruxellenſis pag.* 488., accuratius, de more, animadvertit, textum *in Cap. Cum in diſtribuendis de temporib. Ordi-*

Minus firma convincitur.